

2° *Solvit substantialem unionem animæ et corporis*; etenim supponit animam et corpus esse duo entia per se completa, quæ habent *esse et operari proprium*, et *mediatè* duntaxat copulantur.

3° *Contradictione laborat*, siquidem media substantia quæ animam et corpus conjungit fingitur materialis, et immaterialis naturæ simul particeps.

218. PROP. 3^a : *Falsa est sententia influxûs physici.*

1° *Solvit substantialem unionem animæ et corporis*. Etenim existere nequit unio substantialis inter duo entia per se completa, quibus *esse et operari proprium* attribuitur. Atqui systema physici influxus inducit corpus tanquam substantiam completam, per se viventem et agentem; inducit pariter animam tanquam substantiam completam, neque aliter copulatam corpori, nisi per quoddam commercium actionis et passionis. — Quocirca systema illud in Platonis opinionem quadrat, quo docente, anima corpori unitur ut sessor equo, et nauta navi. Nam sessor quidem equum moderatur, sed ab ipso quoque trahitur.

2° *Favet materialismo*; nam corpus, utpote extensum, non agere potest nisi per contactum physicum. Ergo vel nullo modo in animam agit, et anima homo sit oportet; vel materialis anima efficitur, propterea quòd immediatè excipit actionem rei materialis.

3° *Explicare nequit universalem, intimum et ingentem influxum* illum animæ in corpus, ac vicissim, quem testatur conscientia et de quo infrà dicemus; nam vigere debet potius harmonia quàm influxus mutuus inter duas substantias completas, per accidens copulatas; aut saltem si datur influxus, non erit nisi externus et accidentalis.

4° *Effectum sumit pro causâ*. Non enim uniuntur anima et corpus, quia in invicem agunt, sed in invicem agunt, quia uniuntur. Nulla igitur affertur explicatio mutui influxûs animæ et corporis.

5° Non satis consonat cum definitionibus concilii Viennensis ac Lateranensis, quibus declaratur animam esse *verè, per se, immediatè et essentialiter* formam corporis.

CAPUT III

DE CONSECTARIIS UNIONIS SUBSTANTIALIS INTER ANIMAM ET CORPUS

Ex unione substantiali inter animam et corpus duo non levis momenti sequuntur, nempe : 1° mutuus actionis et passionis influxus, et 2° sedes quam anima in corpore occupare debeat.

ARTICULUS I

De mutuo actionis et passionis influxu inter animam et corpus.

Dicendum est 1° de communi influxu inter animam et corpus; 2° de influxu animæ rationalis in vitam et sensum corporis; 3° de influxu corporis in ipsam vim intellectûs; 4° de specialibus quibusdam affectionibus hominis cum unione animæ et corporis arctè connexis.

§ I. De generali influxu inter animam et corpus (1).

219. I. Exponuntur facta. — Sic præclarè præcipua facta describit Angelicus Doctor : « Secundùm naturæ ordinem, « propter colligationem virium animæ in unâ essentiâ, et « animæ et corporis in uno *esse* compositi, vires superiores « et inferiores et etiam corpus et anima invicem in se « effluunt, quod in aliquo eorum superabundat. Et inde est « quòd ex apprehensione animæ *transmutatur* corpus secundùm « calorem et frigus, et quandoque usque ad sanitatem « et ægritudinem, et usque ad mortem; contingit enim

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 2^e part., c. 4, a. 2.

« aliquem ex gaudio, vel tristitiâ, vel amore mortem incur-
 « rere. — Et similiter est e converso, quòd transmutatio
 « corporis in animam redundat. Anima enim conjuncta
 « corpori, ejus complexiones imitatur secundùm amentiam,
 « vel docilitatem et alia hujusmodi. — Similiter ex viribus
 « superioribus fit redundantia in inferiores, ut cùm ad
 « motum voluntatis intensum, sequitur passio in sensuali
 « appetitu, et ex intensâ contemplatione retrahuntur vel
 « impediuntur vires animalis a suis actibus; — et e converso,
 « ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores, ut
 « cùm ex vehementiâ passionum in sensuali appetitu exis-
 « tentium obtenebratur ratio, ut judicet quasi simpliciter
 « bonum, id circa quod homo per passionem afficitur. » (*Qq.*
dispp. de Verit., q. 26, a. 10, c).

220. II. *Factorum explicatio declaratur.*

PROP. : *Phænomena modò descripta explicari nequeunt, nisi admissâ substantiali unione animæ et corporis; at, eâ semel admissâ, non ægrè explicantur.*

PROB. 1^a PARS. — Etenim, si anima non est forma corporis, non unitur corpori nisi ut motor mobili, aut artifex instrumento. Atqui motoris aut artificis perceptiones, affectiones, passiones aut volitiones neque mobile, neque instrumentum intrinsecè afficiunt. — Vicissim, affectiones mobilis aut instrumenti motorem aut artificem intrinsecè non immutant. Et ratio est quòd eorum diversæ sunt operationes et affectiones, quorum *esse* diversum est et diversa natura. — Itaque aliud concedi non potest nisi artificem eò meliùs opera concinnare, quò meliori instrumento utitur. Ergo, non admissâ substantiali unione animæ et corporis, explicari nequit mutuus et intrinsecus influxus animæ in corpus, et corporis in animam. Unde vel ex eo comprobatur substantialis conjunctio inter animam et corpus, quam suprâ vindicavimus.

PROB. 2^a PARS. — 1^o Quorum commune est esse, communis est operatio, communes affectiones; nam operatio et affectiones sequuntur esse. Atqui animæ et corporis commune est esse; siquidem anima suum esse corpori communicat. Ergo animæ et corporis communis est operatio, communes affec-

tiones. Sed, eo ipso, sequitur animam et corpus in se invicem intrinsecè influere.

2^o Eæ vires in se invicem influere debent, quæ colligantur in uno *subjecto*, et ab uno *principio*, tanquam ex radice promanant. Porrò vires omnes sensitivæ hominis colligantur in uno *subjecto*, scilicet neque in animâ solâ, neque in corpore solo, sed in *conjuncto*, ut alibi probatum est. — Insuper, omnes hominis vires ab uno eodemque principio, scilicet ab essentiâ animæ, tanquam ex radice promanant. Ergo in invicem debent influere ac redundare; ac proinde, positâ substantiali unione animæ et corporis, non ægrè explicatur utriusque mutuus et intimus actionis et passionis influxus.

§ II. — *De influxu animæ rationalis in vitam et sensum corporis.*

221. Quætionem hanc jam affirmativè solvimus, ubi probavimus animam rationalem esse formam substantialem corporis. Quum tamen res majoris sit momenti, fueritque omni tempore magno æstu agitata, et etiamnunc a quibusdam in litem adducatur, de illâ datâ operâ disputandum ducimus.

222. I. *Variæ opiniones.* Varietas opinionum circa principium vitæ corporis humani repetenda est ex *naturâ* unionis quæ admittitur inter ipsum et animam. Si enim anima et corpus habentur ut duæ substantiæ completæ, conjunctæ per accidens, corpus non jam ab animâ, sed per se ipsum vivat oportet. — Sin autem creditur corpus et animam ita secum uniri, ut una inde substantia efficiatur, corpusque per animam informetur, sequitur corpus ab animâ vitam suam recipere.

Porrò qui ultimam tuentur sententiam vocantur *animistæ*; inter quos nominare est Aristotelem, SS. PP. passim, omnes doctores ævi medii, et recens medicum Stahl, cui adhæserunt nonnulli scientiarum naturalium excultores.

Qui autem tenent corpus ab animâ vitam non haurire, in triplicem abeunt opinionem. — Alii putant functiones

vitales explicari viribus *physicis* aut *chimicis*, omnibus rebus insitis; nam, juxta eos, eadem est omnium corporum materia, iidem motus ac mechanicæ leges. Hæc theoria, vulgo *mechanica*, Cartesium, Malebranchium, et recentes quosdam medicos patronos habet. — Alii recurrunt ad vim quamdam superiorem, sed ex *materiâ*, tanquam *organicâ* fluentem. Propterea, huic systemati *organicismi* nomen inditum est. — Demum *vitalistæ*, sentiunt principium vitæ corporis esse aliquid *simplex*, a rationali animâ et corpore simul distinctum. Ita inter veteres Plato, qui creditur triplicem animam in homine posuisse, nempe vegetativam, sensitivam et rationalem; quem etiam Plutarchus et Galenus secuti sunt; inter recentes autem Barthez, Gunther, Baltzer, de Biran, et Jouffroy.

Interim *mechanismi* atque *organicismi* systemata ad *Cosmologiam* amandamus, ubi ostendemus operationes vitæ vegetativæ nullo modo effici posse a materiâ sive inorganicâ, sive organicâ. Quamobrem dirimenda lis est inter vitalismum, animismum et *trichotomiam*, sive illorum systema qui ponunt in homine animam vegetativam, sensitivam et rationalem.

223. II. Assertio: *Influxus animæ rationalis extendit sese ad sentiendî vim et vitam vegetativam corpori communicandam; proinde non est in homine alia anima præter rationalem.*

Hæc propositio *theologicè* constat ex documentis quæ supra recitavimus (n. 214). Certa quoque est *philosophicè*, et probatur sive ratione, sive experientiâ.

I. *Ratione.* — 1° *Unitate entis humani.* Homo est ens *simpliciter* unum, scilicet in eo anima et corpus unam substantiam completam, unum *esse* constituunt. Porrò non esset ens simpliciter unum, si aliâ formâ, vivendi, et aliâ, sentiendi, aliâ autem, intelligendi vim haberet. Nam, ut argumentatur D. Thomas, « ab eodem aliquid habet esse et
« unitatem; *unum enim consequitur ad ens.* — Quum igitur
« a formâ unaquæque res habeat esse, a formâ etiam habet
« unitatem. Si igitur in homine ponuntur animæ plures,

« sicut diversæ formæ, homo non erit unum ens, sed plura. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 58).

2° *Perfectione formæ superioris.* — Forma superior *virtute* continet quidquid continent formæ inferiores, sicut numerus aut figura superior inferiorem numerum seu figuram continet. Et ideo Aristoteles « comparavit diversas
« animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam,
« sicut pentagonum continet tetragonum, et excedit. Sic
« igitur anima intellectiva continet in suâ virtute quidquid
« habet anima sensitiva brutorum, et nutritiva plantarum.
« — Sicut ergo superficies quæ habet figuram pentagonam,
« non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagonâ continetur, ita nec per aliam animam Socrates est
« homo, et per aliam animal, sed per unam eandem-
« que. » (1^a, q. 76, a. 3, c).

II. *Experientiâ.* — 1° *Consensu omnium hominum.* Uni eidemque principio attribuimus quæcumque fiunt in nobis, sive ad vitæ vegetativæ, sive ad vitæ sensitivæ, sive ad vitæ intellectivæ phænomena pertineant. Nam quisque hominum eadem ratione dicit: *Ego* nutrior, auresco, senesco, sentio, quâ dicit: *Ego* intelligo, *ego* volo. Porrò ea uni eidemque principio attribui haud possent, si defluerent ab animâ, vel formâ diversâ. — Quum autem phænomena vitæ intellectivæ exerceri non queant nisi ab animâ intellectivâ, sequitur ab eâ quoque promanare sensationes atque operationes vegetativas.

2° *Influxu mutuo diversarum animæ actionum.* Si duæ vel tres animæ in homine forent, nempe vegetativa, sensitiva et rationalis, actiones unius impedimento non essent actionibus alterius. Quippe diversæ vires, a diverso principio oriundæ, sibi nunquam impedimento sunt, nisi fortè aliæ aliis adversentur, quod non accidit in casu de quo nunc, siquidem actiones vegetativæ, sensitivæ et intellectuales sibi invicem non adversantur. Porrò, experientiâ teste, diversæ hominis operationes sese invicem nonnunquam impediunt. Cùm enim aliqua ex his fuerit intensa, impedit aliam; v. g.,

post cœnam impeditur intellectus a contemplatione subtili; pariter intellectui ac voluntati nocent passiones appetitus sensitivi intensæ; ac vicissim, ex vehementiori contemplatione vires sensitivæ atque etiam vegetativæ præjudicium patiuntur. Hoc autem ideo fit quia omnes potentiæ ab unâ animâ oriuntur; ipsaque, cum finitam vim habeat, si nimio eam exerceat in aliquâ parte, non potest eam simul in aliâ exercere.

224. Obj. 1° Si anima rationalis foret principium operationum vitæ vegetativæ, earum conscientia frui deberet. Porro earum conscientia non fruitur.

R. Dist. maj. Si anima rationalis earum foret principium quatenus rationalis, *conc.*, secus, *neg.* Nam, ut alibi diximus (n. 123), nonnisi spirituales animæ operationes sub conscientia perceptionem cadere possunt. At operationes vegetativæ sunt organicae; ideo anima illarum conscientia frui nequit.

225. Obj. 2° Ens aliquod non potest secum pugnare. Porro in homine appetitus sensitivus pugnat cum appetitu rationali; ergo non ab eadem animâ promanat uterque.

R. Dist. maj. Ens aliquod non potest secum pugnare secundum *idem, conc.*, secundum *diversa, neg.* Porro, alius est appetitus sensitivus, alius appetitus rationalis; cum ergo alter alteri adversatur, homo secum pugnat, sed secundum diversa. — Nec mira hæc pugna inter utrumque appetitum; nam cuique inest proprium bonum ad quod naturaliter fertur, et ex eo certamen exurgit quod bonum alterius adversatur alterius bono, si appetitus sensitivus ostendat triste esse quod ratio præcipit, vel delectabile quod prohibet. — Imò verò, quisque sibi intimè conscius est pugnam eam in seipso existere, et unum eundemque se esse qui hinc inde sollicitatur, contrariis veluti procellis actus, ac vel rationi sensus, vel sensibus rationem demum subjicit.

226. Obj. 3° Animâ rationali a corpore separatâ, cernere est in corpore quasdam operationes vitales; v. g. in quibusdam cadaveribus crescunt ungues et capilli, vel in capitibus recisis, aut in membris amputatis contractilitatis motus

apparent, sicut in cadavere animalis, si electrica scintilla nervorum partes extremas attingat. Atqui hoc argumento est vitam vegetativam non ab animâ rationali originem ducere.

R. 1° Ex allatis phænomenis plura, sin omnia, non sunt reipsa vitales operationes, sed solùm *mechanicæ*. Nam operationes vitales a principio agenti intrinseco ac spontaneo exercentur. Atqui motus contractilitatis de quibus suprâ, aliæque operationes id genus, vel omnes, vel plerique, non a spontaneâ et intimâ agentis vi prodeunt, sed a causâ quâdam extrinsecâ, v. g. scintillâ electricâ excitantur artificiosè.

2° Quòd si daretur quædam ex allatis phænomenis, vitales quadamtenus operationes esse, hoc modo explicari possent: Corpus recens ab animâ separatum plura saltem adhuc integra organa habet; et, ex aliâ parte, ipsa anima, quamvis a corpore recedens, quamdam vim et impressionem sui in ipso relinquit; unde forte non repugnat in quibusdam imperfectioribus organis *generari* formam aliquam vegetativam, quæ brevi tempore pauciores et obscuras vitales operationes exerat, donec ipsa impar sit ad resistendum causis corruptentibus ac sensim deficiat.

3° Et verò, si principium ipsum vitale integrum in cadavere vel in membris amputatis remaneret, eos omnes effectus producere deberet quos naturâ suâ solet producere. Porro non tantum non omnes assueti motus in cadavere aut in recisis membris producantur, sed pauciores quædam et imperfectiores brevissimæque contractilitatis affectiones. Ergo phænomenis istis, ut animadvertit Bouiller, potius comprobatur proprium integrumque vitale principium cum animâ rationali a corpore recessisse, et confirmatur *animismus*, nedum infirmetur.

§ III. — De influxu corporis in vim rationis ac voluntatis.

227. Probavimus supra, n. 96, omnibus hominibus eandem *essentialiter* inesse animam rationalem, eò quòd omnes sint unius ejusdemque naturæ aut speciei participes.

Attamen permagna est hominum diversorum inæqualitas quod spectat ad vim seu gradum intellectus, ut patet vel paulisper attendenti. Cujus quidem inæqualitatis ratio ex multis *extrinsecis* et accidentalibus causis pendet, cujusmodi sunt variæ loci ac temporis circumstantiæ, educatio, studium, disciplina seu methodus adhibita in labore intellectuali.

Sed *intrinseca* et multò altior hujus inæqualitatis causa ab ipso corporis habitu repetenda est, cum, juxta S. Thomam, anima suo corpori sit *commensurata*. Sic ipse argumentum hoc fortiter evolvit. « Unus alio est melioris virtutis in intelligendo. Manifestum est enim quòd quantò corpus est meliùs dispositum, tantò meliorem sortitur animam; quod manifestè apparet in his quæ sunt secundùm speciem diversa. Cujus ratio est quia forma recipitur in materiâ secundùm materiæ capacitatem. Unde etiam cum in hominibus quidam habeant corpus meliùs dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo. » (1^a, q. 85, a. 7, c).

Confirmatur, quia organa sensuum manifestè pendent a corporis habitu; sed potentiæ cognoscitivæ sensitivæ pendent ab organis; et intellectus ipse utitur potentiis sensitivis quæ suam illi præparant materiam. Quare « illi in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est meliùs disposita, sunt meliùs dispositi ad intelligendum » (ibid. et 1^a 2^a, q. 50, a. 4, ad 3, q. 51, a. 1, c., q. 76, a. 5, c).

Accedit quòd pro sexûs varietate, varium quoque se præbet intellectus; in hominibus enim altior est ratio quàm in mulieribus, et firmior, et majoris attentionis capax, et ad veritates generales aut abstractas magis idonea.

Similem quoque ob causam, melior est ratio juvenis quàm pueri, viri autem quàm juvenis; quippe cum ætate crescunt organa, et ideò potentiæ sensitivæ, et consequenter ipse intellectus, qui et ad attentionem ac reflexionem sensim habilis evadit.

Porrò quod diximus de ratione, de voluntate etiam dicendum est. Qui corpore molli aut segni, molli quoque voluntate uti solent.

Præterea, ut notat D. Thomas, « sunt quidam dispositi ex propriâ corporis complexionem ad castitatem, vel mansuetudinem, vel ad aliquid hujusmodi ». (1^a 2^a, q. 51, a. 1, c).

§ IV. — De specialibus quibusdam hominis affectionibus cum unione animæ et corporis arctè connexis.

Inter eas affectiones de quibus pauca dicere juvat, computare licet temperamentum, somnum, somnium, noctisurgium, hypnotismum et amentiam

I. — De Temperamento.

228. 1^o Temperamentum est *constitutio cuique personæ propria, physiologicè, psychologicè simul et moraliter considerata*.

2^o Quadruplex temperamenti genus veteres distinguere solebant, scilicet *sanguinosum, lymphaticum, melancholicum et nervosum*. Quam quidem divisionem parùm curant recentes, quòd non satis præcisa sit et quòd cujusque constitutio ex quatuor prædictis elementis particeps sit. Attamen constat in variis personis unum ex istis esse præcipuum.

Porrò temperamentum sanguinosum illud est in quo systema, ut aiunt, *vasculare*, est grande, cor forte, venæ amplæ, circulatio velox. — Econtra lymphatico respondet systema vasculare minus, minor proinde vis vitalis. — In temperamento nervoso musculi vincuntur a nervis; melancholicum oriri creditur ab insufficienti purgatione sanguinis quæ turbationes affert ac nubila, difficilemque reddit nervosorum elementorum nutritionem.

3^o Experienciâ constat physiologicam temperamenti constitutionem multùm influere in rem *psychologicam et moralem*, afferre scilicet in ipsum animum certas varietates, habilitates, inclinationes, morum magistro diligenter notandas. Nam v. g. apud sanguinosum observare est intrepidam voluntatem, cum ad bonum, tum ad malum ardentior; placidam, sed paulò languidam apud lymphaticum, promptam apud nervosum, sed ad iras pronam. Quapropter morum ipse

rektor non eodem modo se habebit erga illas varietates animorum, nec ab omnibus eosdem virtutis actus exiget, sed attemperabit se singulis et sua cuique consilia dabit aut remedia, ad complexionem accommodata.

II. — De Somno.

229. Is illi a naturâ *finis* institutus est ut viventia, his in terris, quietem necessariam carpere valeant.

Porrò somnus, *psychologicè* inspectus, unam essentialem notam præsefert, nempe intermissionem perceptionis *externæ*, seu, ut recentes dicunt, cessationem vitæ pertinentis ad res externas. Res externæ in dormientem quidem agere queunt, sed nullam in eo conscientiam, imò nullum sensum excitant, quia sensus externi ligati videntur, dum econtra vita vegetativa intensius exercetur.

Quod spectat ad potentias aut operationes internas distinguendum est inter varios somni gradus. Si enim somnus altus fuerit, nulla exerceri videtur functio vitæ sensitivæ et intellectualis. In levi autem somno, « sicut, inquit D. Thomas, solet contingere in fine dormitionis, et in hominibus sobriis et habentibus fortem imaginationem », apparent dormienti phantasmata, et aliquando quidem satis « ordinata » (1^a, q. 84, a. 8, ad 2), quæ in vigiliâ a rebus externis excepta et memoriâ servata fuerunt. Circa illa igitur vis imaginativa functionem suam sponte quidem, mediocriter saltem, implere potest.

Porrò cùm imaginatio sua intellectui præbet phantasmata, in ea quoque vim suam sponte intendere potest intellectus. Quare notat Angelicus operationes intellectuales in vigiliâ *inchoatas*, in somno *aliquando compleri*. « Aliqua operatio inchoatur in vigilando et non perficitur, quia non potest anima completè ejus perfectionem cognoscere, propter occupationes ejus et operationes circa simulacra quæ imprimuntur in eâ et movent ipsam...; si tamen dormit, quia *tunc quiescit ab omni occupatione exteriori*, convertit se super simulacra et complet in eis dormiendo quæ incepit vigilando,

et ita acquirit cognitionem per somnum, mediante quo perficit quod intendit. » (In opusc. Arist. de Divinatione per somnum, lect. 1^a; cf. de Somno et vigiliâ et Cont. Gent. II, 81.)

Attamen etiam tunc omnino deficit *libertas*, quia deficit et *reflexio*; quare nullus certus servatur *ordo* inter varia rationis judicia, imo ipsa facilè aberrat. « Unde illi qui dormiendo syllogizant de unâ vel aliâ re speculabili vel agibili, cùm excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defecisse. » (In lib. Boetii de Trinit., q. 6, a. 2, ad 2).

III. — De Somniis.

230. Somnia id commune habent cum somno quòd intermissionem perceptionis externæ, reflexionis necnon libertatis præseferant. In hoc tamen differunt, quòd propriè consistunt in *passione imaginationis, hallucinatione adjunctâ*. Qui enim somnio tenetur, putat se audire, videre, imo et palpare quæ revera nec audit, nec videt, nec palpat, v. g. putat se amici adstantis audire vocem, ei tacitè respondet vel etiam altâ voce, eum amplectitur, vel ab inimico sese declinare conatur.

Atqui eò magis exercet se tunc imaginatio quò magis quiescit sensibilitas externa; quò verò ipsa vehementiorem se præbet, eò minor remanet rationi locus. Deficiente autem reflexione, somniator nequit jam imagines suas cum rebus ipsis comparare, easque cum rebus ipsis confundit, cùm non minùs distinctæ, imò magis vivæ esse soleant quàm in ipsâ vigiliâ; unde ineluctabilis hallucinatio.

Quæ hallucinatio varias suscitât passiones, pro naturâ somnii; alias quidem jucundas, ut amoris et gaudii, si boni occurrat imago, alias autem molestas, ut tristitiæ, abominationis, iræ, si malum instare putetur.

Causæ somniorum aliæ sunt *morales*, ut passio quædam vel sensus animi vehemens; aliæ autem *physicæ*, ut febris vel cruditas. — *Materia* verò sunt imagines generatim recentiores, aliquando tamen veteres, quæ iterum ad recordationis superficiem forte adducuntur. Sæpenumerò igitur versan-

tur somnia circa negotia cuique familiaria; v. g. venator somniatur de rebus quæ ad venationem, miles autem de rebus quæ ad militiam pertinent.

Quamquam somnianti sua nequeant somnia *imputari*, cum reflexione ac libertatis usu careant, indicare tamen valent certum animi statum ac varias forte inclinationes. Si quis etiam in vigiliâ certæ passioni liberum ac diuturnum consensum præstitisset, cum prævisione saltem confusâ ejus consequentiæ, recursus ejus inter somnia posset aliquâ culpâ non vacare.

Somnio affinis est ea dispositio animi quâ quis in vigiliâ cogitabundam errare hac illac sinit mentem vagas inter cogitationes divisam.

IV. — De Noctisurgio.

231. Noctisurgium est status in quo quis, quamvis somnio teneatur, surgit tamen, ambulat, loquitur, scribit, varias demum actiones peragit quæ in vigiliâ fieri solent. In somnio, ut diximus, variæ imagines aut ideæ dissociatæ occurrunt; in noctisurgio contra, licet etiam reflexio deficiat necnon usus libertatis, ideæ et actiones ipsæ externæ, aliquando quidem satis implicatæ, ratâ lege inter se cohærent et aliæ aliis ordine certo succedunt. Porrò qui sic agit, sequitur ideam, ut aiunt, *fixam* immobilemque, quin aliquid videat audiatve ex his quæ fiunt in ejus præsentia.

Explicatur somniantis activitas illa externa, imò varia cogitationum et actionum cohæsiō, ex vi quadam imaginationi insitâ. Constat enim imaginem, si viva præsertim et exclusoria fuerit, non tantum certas excitare passiones, sed certos quoque *imperare* motus aptos ad exequendum rem ab imagine exhibitam. Cæterum etiam tum exerceri potest intellectus, tametsi vi fatali inductus, et motus ad finem præfixum quadamtenus dirigere.

Noctisurgium porrò duplex distingui valet: aliud quidem *naturale*, quod scilicet in somnio ipsâ vi cujusdam imaginis sponte peragitur, aliud autem *artificiosum*, quod quis in alio variis artibus excitat.

V. — De Hypnotismo.

Quamvis hodiedum magna sit hypnotismi fama, nostri non est propositi declarare nisi quæ majoris momenti sunt ac propius ad psychologiam spectant.

232. *Ejus natura.* — Hypnotismus satis affinis videtur noctisurgio seu somnambulismo artificioso, tametsi latius pateat et aliam aliquando habere queat originem. Est enim status aliquis somnio similis, in quem quis ab aliquo variis artibus subito inducitur, et quo durante, præcisè exequitur, quin reniti valeat, ea omnia quæ illi imperantur.

Variis inquam artibus hujusmodi status inducitur; qui enim hypnotismum exercet, patienti aliquando objicit objectum quoddam perlucidum defixis oculis inspiciendum; aliquando peracutum sonum excitat; aliquando manum suam ad ejus oculos admovet; nonnunquam demum verbo tantum ei fortiter imperat. — Cæterum, non omnes hypnotismo cogi possunt, sed illi maximè qui nervositate laborant.

233. *Ejus effectus.* Varii sunt hypnotismi effectus; alii quidem *physici*, v. g. passio *cataleptica*, quâ membra diu manent in statu in quo posita sunt, quantumvis ille sit violentus; alii *medicinales*, qui præsertim obtinentur in morbis qui ad nervos pertinent; alii *sensitivi*, v. g. amplificatio sensibilitatis quâ sensus multò acutiores redduntur, vel etiam inversus ordo sensuum, v. g. si quis auribus videat, audiatque oculis; quidam demum *intellectuales* aut *morales*, v. g. si quis loquatur linguâ sibi ignotâ, percipiat quæ in regione valde longinquâ peraguntur, vel, licet probus, patret crimina sibi imperata.

234. *Ejus explicatio.* Diversi diversè hypnotismum explicant: quidam putant ipsum per causas merè naturales effici; quidam contrâ ipsum tribuunt *diabolico* interventui; juxta alios, in eo somnio suscitatur *nova* potentia seu novus quidam sensus, vi cujus patiens mirabiles et insolitos illos actus elicit; denique si aliis fides, inter varios effectus de quibus supra, quidam rejici vel saltem pro valdè dubiis haberi debent,

quia mentiri solent qui subjiciuntur hypnotismo; quidam nonnisi diabolico interventu explicari possunt, v. g. si quis linguâ sibi ignotâ loquatur, vel percipiat res in regione admodum longinquâ positas, vel videat auribus aut audiat oculis, cum hæc phænomena legibus naturæ adversentur; alios verò effectus naturales esse arbitratur. Quam nos sententiam libenter amplectimur, et sic explicamus eos effectus hypnotismi qui nobis naturales videntur: Cum vehementius intenditur actus alicujus potentiæ, aliarum potentiarum actus sponte intermittuntur, ut supra diximus. Porrò qui adversus personam aliquam debilem vel nervositate laborantem hypnotismum exercet, in eo est totus, ut variis modis eam subjiciat sibi, vehementissimè imaginationem illius afficiat, eam ad unum objectum intendat, sicque intermittendo reflexionem ac proinde libertatem, cæcam ejus obtineat obedientiam.

235. Ex dictis sequitur quid tenendum sit de hypnotismo ad regulas *morum* comparato. Porrò non licet ad eos effectus recurrere quos nonnisi diabolico obtineri posse interventu diximus; his autem exceptis medicus peritus hypnotismo aliquando, rarò tamen, uti potest, gravi de causâ, ad majus bonum consequendum modo, quantum in se est, præcaveat malos effectus qui exinde sequi possunt.

VI. — De Amentia.

236. *Amentia notio.* — Amentia generaliter inspecta, est velut status hominis in vigiliâ ipsâ somniantis. Si pressius definiri velit, est status hominis rationis usu carentis.

Amentia porrò variam habere originem, varios suscipere gradus potest. Aliquando ab ipsâ nativitate exordium ducit, aliquando a causâ fortuitâ seu adventitiâ. Rursus, *temporalis* est vel *perpetua*, prout admittit vel non intervalla quædam lucida. Demum, *incompleta* est vel *completa*, prout aliquem vel nullum rationis usum admittit.

237. *Amentia explicatio.* — Amentia causa *remota* potest esse *moralis*; v. g. si quis, audito tristi nuntio, ingenti mœ-

rore afficiatur vel aliâ vehementiori passione teneatur, adeo potest commoveri perturbarique, ut rationis usum amittat. At propria et *proxima* amentia causa organica dicenda est. Cum enim ratio sit potentia spiritualis, *directè* et per seipsam attingi nequit. Cum verò indirectè pendeat ab organis, utpote quæ imaginationis ac memoriae auxilio indigeat; cumque imaginatio ac memoria, utpote potentia organica, directè attingi valeant, sequitur rationis usum minui vel etiam prorsus deficere posse, ex vitio vel læsione quædam cerebri, in quo imaginatio, ut memoria, sedem habet. Experimentiâ enim probatur eos qui a nativitate minori quàm par est cerebro utuntur, semifatuos esse; illos autem quorum cerebrum violentâ febris vel aliâ læsione afficitur, omnino vel partim saltem rationis usu privari. Hinc enim accidit ut apud illos imaginatio sic intendatur ut reflexionem et comparisonem cohibeat; mens autem in unum intenta impressiones et sensationes suas ad normam superiorem rationis comparare nequit, ac proinde ipsas, quocumque ferant, sine discretione sequatur necesse est.

ARTICULUS II

De sede animæ in corpore.

238. *Opiniones.* Duplex est opinio philosophorum circa sedem animæ in corpore. Qui docent animam non corpori uniri nisi tanquam *mobili motorem*, solent eam reponere in aliquâ præcipuâ corporis parte, per quam cæteras partes moveat; sic Plato, qui animam rationalem in capite collocavit; Stoici, qui eam in corde esse voluerunt; Cartesius, Malebranchius eorumque sectatores, qui cerebrum pro sede illi adjudicaverunt.

Qui autem habent animam ut *formam substantialem corporis*, discernunt eam in toto corpore esse et in singulis ejus partibus, secundum totam quidem suam essentiam, non tamen secundum omnes potentias suas; ita Aristoteles, SS. PP. communiter et omnes scholastici. « Anima, inquit S. Au-